

9
9
DISSERTATIO EPISTOLARIS
DE
S T V D I I B O T A N I C I
RATIONE
AD MEDICI CLINICI
ACVMEN IN OBSERVANDO.

QVAM

PRAESTANTISSIMO
**GVSTAVO MATTHIAE
LVDOLFF**

GRATVLATVRVS

DIGNITATEM DOCTORIS MEDICINAE
IN REGIA FRIDERICIANA

VI. ID. NOVEMBR. A.O.R. CIOCCCLVIII.

EX MERITO PVBLICE IMPETRATAM

INSCRIPSIT

D. ADAMVS NIETZKI.

HALAE SALANAЕ


AERE GVRTIANO.

R

DISSESTITATIO ELLISIOLVRII
S T A D I I B O T A N I C I
A D M I R A B I L I G R A F I N I C I
ACADEMIA OBSERVANDO.
GASTAVO HANTHAE
LUDOLPHI
DIGNITATUM DOCTORIS MEDICINAE
HONORABILISSIMI
DISSESTITATIO ELLISIOLVRII
S T A D I I B O T A N I C I
A D M I R A B I L I G R A F I N I C I
ACADEMIA OBSERVANDO.



Mihī ipsi non satissacerem, P R A E S T A N T I S S I M E
L V D O L F F, si publicam animi mei erga T E te-
stificationem nunc finerem desicere; quum iam
festiuā illa dies instet, qua meritis T V I S ab A M-
P L I S S I M O M E D I C O R V M O R D I N E I N R E G I A F R I D E-
R I C I A N A decreti in arte Machaonea summi honores in T E confe-
rendi sunt. Quamuis quidem ista occasione Candidatis bona verba dici,
in eorumque laudem multa proferri soleant: id tamen non alia ex ra-
tione saepius sit, quam vt inueteratae in Academiis consuetudini satif-
fiat, prorsus fere postposita recta meritorum aestimatione. Ego vero
nunc ad T E scribo epistolam non alia caussa ad id officii genus incitatus,
quam vt publico quodam documento probare videar, me amicitiae
T V A E meritorumque T V O R V M aequum esse aestimatorem. Ex
quo enim Academiam Fridericianam accessisi: ex illo etiam tempore
non alio mihi innotuisti nomine, quam morum probitate et decore,
continuo litterarum studio et nunquam satis laudando conatu ad acqui-
rendam rerum medicarum solidam vtilemque cognitionem. Neque
etiam aliis me magis poterat praeclaras iſtas animi T V I dotes obser-
nare, qui consuetudine T V A quotidie viſus eram. Qua de re ego
mihī valdopere gratulor. Affiduum T E habui auditorem et comitem
fidissimum ante strata aegrorum: viroque loco haud vulgaris ingenii
specimina edidisti. Sollemne T I B I esse cognoui, non affentiri dogma-
tibus medicis, priusquam de illorum nexus cum certis cognoscendi
principiis constiterit; vt hoc modo vera a falsis, certa ab incertis distin-
guantur. Ad hunc nexus in doctrinis medicis rite intelligendum
summam animi contentionem adhibuisti, cognitoque valore accurata-



rum observationum, frequens ante strata aegrorum comparuisti, ut easdem colligeres, collectasque inter se conferre posses. Quem laudabilem animi TVI impetum nulla incommoda reprimere valebant, quibus saepius stipatae esse solent accessiones ad aegros. Atque ita TIBI in veritatem cognoscendam vnicce intento perinde erat, siue dies, siue nox, siue aduersa tempestas, siue sudum fuerit. Multoties mihi licuit ista occasione tantum ingenii TVI acumen deprehendere, quantum rarissime locum inuenit apud iuniores Aesculapii filios. Videbatur ideoque mihi studium Botanicum, quo in genere eruditio[n]is paternam gloriam imitatus, inter complures alios emines, multum contulisse ad augendum ingenii TVI acumen in obseruando ante strata aegrorum. Neque hoc a veritate alienum esse intellexi, re penitus examinata. Concedas mihi modo, AMICISSIME LVDOLFFE, vt de isto singulari effectu studii Botanici a me prolatum iudicium ex genuinis principiis deducatur; cuius rei veniam me eo facilius a TE imperatrurum esse spero, quo certius est, quod plerisque eorum, qui nomen suum Hygeae profitentur, paradoxon videri possit argumentum nunc disputandum.

§. I.

Ex ipso vero rei differenda natura satis euidenter pater, opus esse, vt prius sciatur, in quo acumen consistat; quomodo illud ad maiorem perfectionem perduci possit; circa quod Botanicus versetur; quae tandem Medici clinici occupationes sint. Nam hisce singulis notionibus inter se rite connexis deinde elucescer, quomodo se se etiam habeat studium Botanicum ad Medici clinici acumen in obseruando.

§. II.

Acumine quis praeditus esse ex eo iudicari solet, quando facultate pollet, multa in uno distinguendi. Atque ideo simul pater, alterum altero fore acutiorum, quo plura quis in uno discernere valet.

Quae

Quae quum ira sint, omnino mihi concedi debet, dari gradus acuminis, eosque per pluralitatem eorum, quae in vno distinguuntur, determinandos. Quod si iam aliquis in obseruatione quadam multa distinguit: ille acumine in obseruando instructus esse dici poterit, atque altero hac in re acutior erit, quo plura in vna obseruatione ab ipso distinguuntur.

§. III.

Quemadmodum vero generatim acumen ab attentione dependet, siue ortum suum adgnoscit in facultate efficiendi, vt in perceptione composita huius pars vna maiore reliquis fulgear claritate: ita id ipsum etiam de acumine in obseruando valere debebit. Sed ira ultrius directa attentione ad ea, quae rei perceptae infuntr, vt ab vno ibidem obuio ad aliud procedatur, siue vsu reflexionis plura in vno a se inuicem discerni poterunt. Ex quibus igitur euidenter colligere licet, ad acumen in obseruando reflexione opus esse, siue requiri, vt ad singulas partes obseruationis attentio dirigatur. Nam hoc modo efficitur, vt in vna re ope obseruationis cognita plura a se inuicem distinguere possimus; vtpote in quo natura acuminis in obseruando consistit (§. anteced.).

§. IV.

Ex principiis psychologicis constat, immo quilibet ad semet ipsum probe attentus experientia quasi domestica edocetur, fieri posse, vt facultates, quibus mens nostra gaudet, crebra illarum exercitatione perfectiores reddantur. Naturali quadam consequentia inde iam fluit, quod etiam acumi*n*i maiora semper accendant augmenta, quo magis illud exerceatur. Atque ita simul intelligitur, ad eminentiorem quemdam gradum euchi posse acumen in obseruando, illius frequenter institutis exercitationibus, maximum in commodum illarum disciplinarum, quarum principia cognoscendi ab obseruationibus deriuari debent;



quorsum etiam vniuersa ars salutaris pertinet. Acumine enim in obseruando bene pérpolito, admodum plura in vna obseruatione distinguuntur, ita, vt tunc vberior idearum collatio institui, et quae eisdem adhaerent similitudines, concurrente ad hoc negotiorum ingenio, facile erui possint. Panditur hac ratione via ad generum et specierum notiones peruenientes, vnde iam in disciplinis formantur propositiones vniuersales amplissimi usus. Vrinam haec facies foret systematum medicorum!

§. V.

Vt vero fini proposito proprius accedam, me nunc conuerto ad Botanicam. Nobilissima haec disciplina in eo praecipue occupatur, vt certas quasdam notas suppediter, quarum ope vegetabilia a se inuicem facile discerni possint. Vario id praestare modo conati sunt hanc eruditioris partem colentes. Copiose idem testatur diuersitas methodi, qua ad tradendam rem herbariam usi sunt Botanici. Alii enim ab hac, alii vero ab alia parte, ad plantam constituantur necessaria, notas desumpserunt, quarum beneficio vnam plantam ab alia distinguerent. Ad eamdem ideoque partem in tot plantis attentio dirigi debet, vt cognoscatur, quaenam hac in re inter se conueniant, quaenam discripient. Nam inde distributiones plantarum in certos ordines fiunt. Innititur iam huic fundamento methodus artificialis Botanicis dicta; ad differentiam methodi naturalis, quae ad plures simul partes, plantae compositioni inservientes, immo etiam illarum situm, aliasque ad se relationes attendere praecipit. Nemo non exinde vider, Botanico plantas rite tractanti continua esse exercitia acuminis, eaque longe praestantiora sub applicatione methodi naturalis.

§. VI.

Quod tandem ad Medicum clinicum attinet: ille iam non alio animo versatur ante strata aegrotantium, quam vt illorum perditam sanitatem

sanitatem vel prorsus restituat, vel si hoc fieri non poterit, morbum mitiger, ne tam cito vitam extingue possit. Huic igitur fini adipiscendo inferuet distincta cognitio morbi, huius causae, effectuum et signorum: quorum omnium intelligentia a Practico bonae notae requiritur. Sed quo iam modo haec omnia obtineri poterunt? certe non aliter, quam animo ad omnia attento, quae in casu percipiuntur, singulisque reflexioni subiectis, quae obseruationi insunt. Quis vero exinde non intelligit, Medicum clinicum oportere acutum esse in obseruando?

§. VII.

Hicce omnibus praemissis, quae in se continent §. §. anteced. nunc iam facile constabit de vera ratione studii Botanici ad Medici clinici acumen in obseruando. Docet enim §. IV, acumen ex sui crebro exercitio maiora capere incrementa. Sed ex §. V. apparet, studium Botanicum abundare exercitiis ad poliendum acumen accommodatissimum. Poteritne iam veritati conuenientius quid inde sequi, quam ut etiam exulto acumine in obseruando polleat Botanicus, eodemque praeditus ad vices Medici clinici obeundas accedere possit? Neque differentia obiecti impediens, quo minus id fiat. Tametsi enim inficias iri non potest, quod substitutio obiecti a solito diuersi, mentis operationes quasi reprimere, et saepe acutissimus Mathematicus stupidus auctum fieri videatur, simulac illius animo variae res aliae, loco quadratorum vel circulorum obuersentur: id tamen ideo fit, quia intermixti soleat animi attentionem varietati rerum assuefacere; quod vero in nostra potestate situm erit. Quia in re multum iuuabit animum utilitate rei cognoscendae incitare. Quod si itaque Botanicus, Medici clinici officium exsequitur, ante strata aegrotantium eadem mentis acie compareat, qua plantas intueri solebat: ille sine dubio alios acumine in obseruando superabit, qui ad mentem acuendam nullis exercitiis vni sunt.

Sed



Sed quorū haec omnia disputantur? Quorū? ut r̄ v̄ o exemplo constet, DOCTISSIME LVDOLFF, quantopere Botanices cultura, vel alia acuminis exercitia valeant ad Medicum clinicum excellentis notae efformandū. Nam veluti ager quamuis fertilis, sine cultura fructuofus esse non potest: ita neque foecundum ingenium a natura concessum, nisi saepius tractetur; congruos fructus feret. T̄ v̄ vero variis exercitiis ad acumen in obseruando poliendum aptis, studium Botanicum praesertim adiunxisti, in huiusmodi exercitationibus continuus fuisti, atque varietati rerum obseruandarum assueuisti; ut inde satis perspicua esse videatur ratio, cur alii quoque principiis in Medicina necessariis egregie imbutus, prompte edere possis praeclara specimenia acuminis ad obseruanda in aegris phaenomena fructuofissimi? Manifeste id etiam probatum dedisti in Dissertatione T̄ V A inaugurali, in qua impedimenta solutionis febrium malignarum maxime salutaris distinetē explicas; hac utilissima doctrina ab obseruationib⁹ de-riuara, eademque cum aliis certis principiis cognoscendi pulchre connexa. Potuissentne vero haec omnia a t̄ e praestari sine perpolito acumine in obseruando? Maecte igitur esto ista virtute! Sequere iam continuo gentis T̄ V A E gloriam, ortus ex familia Asclepiadēa, dum proauum habuisti Magnum STAHLIVM, insigne illud in mundo medico decus, et parentem eximum Botanicum et Medicum! Auge in posterum artem salutarem multis aliis operibus ingenii T̄ V I ad quaeuis magna nati, meamque ideo de t̄ e conceptam spēm adimple! Nunc de promerita dignitate Doctoris Medicinae T̄ I B I ex animo gratulor; subiunctis candidis votis, ut inde T̄ I B I mox suboriantur fors felicissima, qua longissime quietissimeque fruaris! Quod reliquum est, me amare perge; certoque cognitum habeas, me in t̄ e amando augendoque nemini fore secundum.

Atque ita vale nostrum delicium ornamentumque! Dab. in Acad.

Frider. VII. Id. Nouembr. A. O. R. cIοΙccCLVIII.



01 A 6545




Sb.

VD 18

VON

B.I.G.



DISSE⁹
TATIONE
PISTOLARIS
DE
S T V D I I B O T A N I C I
RATIONE
A D M E D I C I C L I N I C I
ACVMEN IN OBSERVANDO.

Q V A M
PRAESTANTISSIMO
GVSTAVO MATTHIAE
LVDOLFF

GRATV LATVRVS
DIGNITATEM DOCTORIS MEDICINAE
IN REGIA FRIDERICIANA

VI. ID. NOVEMBR. A.O.R. CI⁹CCLVIII.

EX MERITO PVBLICE IMPETRATAM

INSCRIPSIT
D. ADAMVS NIETZKI.

HALAE SALANAE
AERE - CVRTIANO.